

aut minus in hac re, quam in ceteris artibus fit, ut ingenio doctrina, praeceptione natura nitescat. Quare et illis, qui natura memores sunt, utilis haec erit institutio: quod tute paullo post poteris intelligere. Quod si illi freti ingenio suo, nostro non indigent; tamen justa causa datur, quare iis, qui minus ingenii habeant, adjumento velimus esse. Nunc de artificiosa memoria loquemur. Constat igitur artificiosa memoria ex locis et imaginibus. Locos appellamus eos, qui breviter, perfecte, insigniter, aut natura, aut manu sunt absoluti, ut eos facile naturali memoria comprehendere et amplecti queamus, ut aedes, intercolumnium, angulum, fornicem, et alia, quae his similia sunt. Imagines sunt formae quaedam, et notae et simulacra ejus rei, quam meminisse volumus; quod genus, equi, leones, aquilae: quorum memoriam si volumus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos oportebit. Nunc, cujusmodi locos invenire, et quo pacto reperire, et in locis imagines constituere oporteat, ostendemus. Quemadmodum igitur qui litteras sciunt, possunt id, quod dictatum est, scribere, et recitare, quod scripserunt: ita qui *μνημονικά* didicerunt, possunt, quae audierunt, in locis collocare, et ex his memoriter pronunciare. Loci enim cerae aut chartae simillimi sunt, imagines litteris; dispositio et collocatio imaginum scripturae, pronuntiatio lectioni. Oportet igitur, si volumus multa meminisse, multos nobis locos comparare, ut in multis locis multas imagines collocare possimus. Item putamus oportere ex ordine hos locos habere, ne quando perturbatione impediamur, quo secius quotoquoque loco libebit, vel a superiore, vel ab inferiore, vel a media parte imagines sequi, ut ea, quae mandata locis erunt, videre et proferre possimus. Nam ut, si in ordine stantes notos complures viderimus, nihil nostra intersit, utrum a summo, an ab imo, an a medio nomina eorum dicere incipiamus: item in locis ex ordine collocatis eveniet, ut in quamlibet partem quotoquoque loco libebit, imaginibus commoniti dicere possimus id, quod locis